

Ad Lectorem.

lib. II. meminit, & in annotationibus suis ad orationem de Vita Reuchlini prolixè descripsit Jo. Majus, p. 248. seqq. Neque video, cur prohibendi sint Lectores à libris Rabbīnicis, cum eorum utilitatem tam in Grammatica, quam etiam Theologia, eaque & Exegetica, & Elenctica imo & Didactica plurimi monstraverint, integrisque tractatibus eam rem manifestam reddiderint; ex quibus unicum sufficiat nominare Theodoricum Hackspanium, quem maximum profecto isthoc in genere doctrinae (intelligit autem Hebraeas Literas,) virum, qui quae adeo scriptis ejus argumenti editis aeternum sibi nomen ad omnem aeternitatem pepererit, Conringius in *Epist. grat. nat. 88. ad Augustum p. 128.* dicit. Iste enim annexo R. Lipmanni ab ipso edito libro, *Nizzachon* inscripto, integro tractatu *de Usu librorum Rabbīnicorum* prolixè & jucunde istam rem executus est. Usus eorum librorum in N. T. plurimi monstrarunt. Quis inter eos non miretur Drusium, Capellos, Lighthfootum? Hottingerus dissertationem hac de re conscripsit. In V. certe T. absque Rabbīnorum commentariis, praepriis quod Judaeorum caeremonias attinet, minime feliciter proceditur. Quod ipsum penitus perspectum habuit Optimus & beatissimus Parens meus, qui cum verissime Hebraicis literis natus videretur, omnem quoque operam impendit, ut illis decus aliquod nasceretur, quod & eisdem attulisse Vitringa in *Synagoga Vet. P. I. lib. III. c. V. p. 674.* affirmat. Neque melius putavit illud fieri posse, quam ut sedulae sacrarum in Lingua Hebraea Literarum lectioni conjungerentur quoque Commentarii Judaicorum Doctorum. Et in hunc finem *Collegium Rabbīnico-Biblicum in libellum Ruth* disputationibus aliquot edidit, enim vero, quod fatendum, non absolvit. *Duodecim* enim disputationes tantum ventilatae, atque adeo elaboratae sunt, *ab initio libelli ad capitis secundi versum usque decimum.* Initium cepit istud Collegium anno superioris seculi sexagesimo nono, mense Februario, & continuatum fuit
ad